



Gamelbd.

010

de,

66

DE  
NIMIA SERMONIS PATR<sup>I</sup>II CVLTVRA  
HODIERNAE BARBARIAE CAVSSA  
PROLVSI  
QVA  
AD SOLEMNEM IN DECLAMANDO  
EXERCITATIONEM  
BENIVOLE AVDIENDAM  
HVMANISSIME INVITAT  
CAROLVS HENRICVS SINTENIS,  
AA. LL. M. LYCEI TORGAVIENSIS RECTOR.



---

LIPSIAE,  
EX OFFICINA IACOBÆERIA,  
MDCCCLXXX.





**C**ommunem, qua digna videatur haec commentatio, assensio-  
nem si spacio, omni fere spe destitutus, animo ut infrin-  
gar, necesse est. *Nonnulli* enim illorum, qui qualescum-  
que labores meos scholasticos cum liberalitate quadam hoc usque le-  
gerint, fortasse obducta fronte praesentem disputationem, non tam  
mirantes, quam indignantes, adspicient, ut ex hoc vultu facile con-  
cicere possim, collectam ipsorum gratiam nunc effudisse me omnem,  
plurimi vero, criminandi cupiditate in omne id incensi, quod a praes-  
sentis aetatis tempestitudine abhorreat, publicis iniuriis me proscin-  
dant, risumque naso adunco mouentes, prolusionem hanc, quasi  
longe infelicitatis ingenii prouentum, abiciunt. *Illorum* beniuolen-  
tiae iacturam, quia non parum ad opprimendum animum scholasticum  
conferre poterit, vehementer doleo, fortasse tamen, si animo aequo,  
et ab omni partium studio abalienato hoc scriptum ad finem usque  
legere illis placuerit, non omnis spes frustra concipitur, *ipsorum*  
gratiam esse me recuperaturum, *horum* vero, qui a praesentis, eius-  
que multo elegantioris, aetatis deliciis atque illecebris capti tenen-  
tur, quique, humanitatis recentioris suavitate perfusi, omne, quod  
ab illa remotum est, aut illi obesse conatur, fastidiose auersantur,  
*horum* igitur criminationem, qua mihi, domesticae barbarie reo, et  
politioris, quae putatur, ingeniorum hodiernorum culturae aduer-  
fanti, odium conflare, aut faltem irrisiōnem concitare, studiose elab-  
orabunt, candide hic adieciſſe non poenitebit, ut intelligent, ipso-  
rum animi indolem atque sapientiam mihi quam optime esse cognitam,  
meque istiusmodi sermonibus, bonae famae per se non noxiis, nequa-  
quam commoueri. *Sic rursus, clamitant, sic rursus nouae de hodierna  
barbaria querimoniae iactantur? sic rursus splendida aetatis noſtræ de-*

## IV

literarum republica merita animo ingratissimo obscurantur? Ohe iam  
 satis inueteratae sunt istiusmodi querelae! iam satis explosae sunt istius-  
 modi cantilenaq; lugubres! quis est ille custos et vigil, in specula positus,  
 ex quo haec miserabilis vox auditur: videte, ciues, barbaries iam ante  
 portas, videite, ne quid detrimenti accipient bonaे literae? quis est ille  
 Vindex et Stator exquisitae, quae praedicatur, eruditionis? num ipse  
 tot tantisque ingenii viribus pollet, ut monitoris et castigatoris munere  
 graui fungatur? non, ut plerumque fieri solet, istiusmodi naeniae a viro  
 quadam ad teretes aures nostras perferuntur, qui, puluere paedagogico  
 obrutus, et seuero ac distorto vultu scholasticō minitans, de satis vulgari  
 intelligentia gloriatur? non ab eodem viro, qui ante aliquot annos simi-  
 les querimoniaς contra optimum et sapientissimum virum mouit, cuius se-  
 minarium scholasticum, ut ex Hamburgensis rerum publicarum com-  
 mentariis constat, tanta nunc celebritate floret, ut inde a Petropoli us-  
 que ad Lisbonam nominis eius gloria cum omni posteritate sit adaequata?  
 vbinam denique dominatur ista, quae somniatur, barbarie? quae regio  
 Germaniae nostrae tam inulta, agrestis, et barbara est, quin fertilis  
 et frugifera sit ingeniis, elegantissima lectione tam bene nutritis, ut illo-  
 rum opera, quam nitidissimi compagibus ornata, in unaquaque cubiculis  
 mundique muliebris mensa reperiantur? legantur mundinarum indices,  
 quibus libri, in lucem adspectumque recens editi, aeternitati consignan-  
 tur, quam immensus fere est nouissimorum scriptorum numerus, et inscri-  
 ptiones horum librorum nonne tam ingeniose, tam subtiliter sunt excogita-  
 tae, ut quilibet, nisi felicissimae aetati nostrae de summa eruditionis  
 laude, ipsi iustissime tribuenda putet, aut stupenda et cras-  
 jae ignorantiae, aut inadvertiae atque liuoris ignominiam sibi contrahat?  
 Verissimum est, rem mihi esse cum POLITISSIMIS atque ELE-  
 GANTISSIMIS aduersariis, a quibus non minus morum atque vr-  
 banitatis, quam ingenii atque eruditionis praestantia longe multum-  
 que supero! ecquid pretii darem, si quis monitis fidelissimis me re-  
 tinuisset, ne de praesentis aetatis cultura, eiusque venustate atque  
 humanitate dubitarem! tam honorifica appellatione, tor blanditiis,  
 tot verbis, benignitatem spirantibus, exceptus ab aequalibus (sive,  
 pro ipsorum barbara elegancia, a coetaneis) quo confugiam, quo  
 vertam me, nescio! Sed multo tristior adhuc fors mihi educitur, en-  
 alios, qui longe acriorem in me impetum faciunt, vociferantes:  
 quid?

quid? eo insipientiae atque stuporis quis unquam putasset, quemquam posse progredi, ut persuasum nobis cupiat, sermonis patrii culturam foecundissimam esse barbariae parentem? non Graeci, non Romani, quos tu solos sapientes, et imitatione dignos censes, omne studium omnemque operam ad id contulerunt, ut orationem infletterent, ut illam molliorem ditionemque redderent, verbo, ut linguam patriam emendandam curarent? num peregrini gentibus, num intermortuis, et ab usu remotis, linguis illarum, maiorem cultum maioremque animi attentionem debemus, quam nostrae? apage, doctor umbratice! apage, difficilis vir atque morose! ne audeas, nostris interessè circulis, ad elegantiorem humanitatem compotis, tu sane nihil in WIELANDIO, GLEIMIO, GOETHIO, IACOBI, GOECKINGIO, LESSINGIO, BVRGERO, et qui sunt alii scriptores amantissimi, legisti, tu sane nihil ex ingeniosis Musarum fasibus, fabulosis historiis, carminibus Anacreontis, et ludis scientis memoriae tuae mandaſi, quo recitando tempus iucundissima ratione nobiscum, SENECAE honestam, quae dicitur, temporis avaritiam deridentibus, transfigere posse, abeas, tu sordide et puluerulente Graeciae Latique monumentorum auceps, aliquoquin vix nobis sufficerent lagunculae nostrae, liquore odorifero repletae! Sed non est, BONI ATQUE ELEGANTES viri, quod stomachum vobis ipsi moueat, animo sedato et tranquillo sitis, ego ingrato aduentu meo, Myconiorum more, vobis nunquam creabo molestias, quid? quod, ne absens etiam, conuulsis et infractis in complectendo machinationibus vestris, et compensatis, quibus me exornasti, laudibus in praesentia pudore vos suffundam (nisi fortasse omnem iam depositissim) hinc animum non intendam deregendis fraudibus vestris, neque haec vobis respondebo: facilis, inquit aper, vindicta est mihi, sed inquinari nolo ignauo sanguine, haec potius sola sint, quae ad vos accommodanda putem: quodsi accusator alius, SEIANO, foret, si testis alius, iudex alius denique, dignum fatetur esse me tantis malis. Quid vero mihi restat, cum exulcerati plurimorum Lectorum animi non solum omnem assensum mihi denegant, sed etiam istiusmodi friuolis et malignis sermonibus bonam existimationem meam maculis adspargere, illamque conterere audent? quid est, quod, ad animum reficiendum, sperare possim? O permulti, licet iam vrgens, aut certe aduentans sit barbaries, permulti, inquam, iisque tam exquisita et accurata do-

etria, quam summis in literas fugientes meritis, celebres atque conspicui adhuc reperiuntur Viri, qui, quo remotores ab opinatis recentiorum suavitatibus sunt, eo faciliores se mihi in iudicando praebere poterunt, propterea quod nihil omnino aetatis praesentis leuitati, sed omnia veritati, eiusque fortissimae defensioni, dare consti*tui*. *Illi* si probatus fuero, quid est, quod credam, reliquos esse curandos?

Quotusquisque est, quin, si quid, cui in vniuersum considerato, commune odium per se non esset confundum, reprehensione atque criminatione dignum putet, siue ignorantiae fastu inflatus, siue odii rabie atque inuidentiae malitia incensus, eo feruoris in viru perando progrediatur, vt non solum totum illud, quod ipsi offenditionem atque indignationem excitarit, nullis limitibus adhibitis, contemendum reliquendumque ceferat, sed omnes illos etiam, qui studio atque amore in id, quod ipsi iniustum sit, ferantur, despiciat, illosque despectos contumeliosis vocibus atque conuictiis lacestat pauci certe inueniuntur, qui, partibus quibusdam non addisti, animum ad verum pretium eiusmodi rei statuendum ita intentum habent, vt laudanda a reprehendendis iusta et debita cautione fecerant, illaque extollant et commendent, haec improbent atque dissuadant. Ne igitur hoc idem sit, quod mihi in culpam vertatur, statim ab initio dicam, vim mihi asserri non excusandam, si quis persuasum habeat, me in omnem quamcunque sermonis patrii culturam tam iniquo tamque vehementi odio esse inflammatum, vt linguas peregrinas, easque solas, studiose tractandas, et quemquam eruditorum, quo magis infuscatus sit *domestica barbarie*, eo maiori iure eruditii nomine insigniendum putem. Tantae potius necessitatis, linguae germanae quod impeditur, studium iudico, vt exploratissimum habeam, illud vel grauissimis negotiis esse anumerandum, neque tam praeclarum esse, scire germane, quam turpe, nescire, et, quo magis abhorrens videar ab omni dissimilatae acerbitatibus fulpitione, rationes adiiciam, quibus impulsus haec statuo. Quid in vniuersum maioris dedecoris est, huius sermonis neglectu? Scire latine, inquit CICERO, non tam mihi oratoris boni, quam ciuiis Romani, proprium videtur, et, quid est, quod necessitatem cognitionis linguae Romanae non soli oratori, sed vnicuique ciuium, intuendam

dam existimet? certissime non ex sola arrogantia, quam ciuibus suis  
 instillare voluerit, vt persusissimum illis esset, linguae Romanae,  
 sicut nomini Populi Romani, inesse, nescio quid quantumque maiestatis  
 atque praefantiae, sed potius eo consilio, vt ciues vehementissimo Patriae amore incenderet, Patriae, inquam, cuius tanta vis  
 est, ac tanta natura, vt Ithacam illam, in asperrimis saxulis, tanquam  
 nidulum, effixam, sapientissimus vir immortalitati anteponeret, Patriae,  
 quae tute alii ciues, Patriae, quae honeste ciues producit, Patriae,  
 quae munit ciuium rationes bonis legibus, optimis moribus,  
 honestissimisque disciplinis, Patriae, a qua omnia commoda  
 accipiuntur, et pro qua nullum incommodum graue est putandum,  
 Patriae, cui nascitur ciuis, Patriae, quae omnes omnium charitates  
 complectitur vna, Patriae, pro cuius salute est dimicandum, Patriae denique, pro qua bonus non dubitat, mortem oppetere. Quo  
 luculentiori certiorique documento amorem in communem hanc,  
 eamque optimam facillimamque Parentem, comprobare possumus,  
 quam hoc, vt linguae eiusdem non minorem obseruantiam praestemus,  
 quam reliquis illius legibus, institutis, atque disciplinis? his  
 omnibus continetur vinculum, quo coniungimur cum Patria suauissima,  
 quodque tam arctum, tamque firmum est, vt, qui illud  
 dissoluere velit, ipsi naturae violenter resistat, his omnibus accurate  
 et diligenter cultis, studia testamur, quibus Patriae tutelam atque  
 praesidium cupimus, his omnibus reuerenter habitis atque obseruatibus,  
 felicitatem nostram, a Patria sperandam, confirmamus, his omnibus  
 distinguimur a peregrinis. Lingua patria igitur qui inquit loquitur,  
 maxime vero, qui, aliarum linguarum cognitione exquisitiore  
 imbutus, eam turpiter neglexit, cuius amorem lacte materno quasi  
 sugere debuisset, iste nimis refrigerati in Patriam animi suspicionem  
 sibi contrahit, iste indignus est, quem Patria alat, quem producat,  
 quemque tueatur, iste ingratisimus et maxime impius Verrina criminatione  
 multo maiori iure est notandus, quam CICERO, cum in senatu Graeco verba fecerat, et Graece apud Graecos locutus erat, iste  
 a Patriae societate est remouendus. Vtinam igitur poeniteat vos,  
 Parentes, qui praesentis aetatis mollitatem nimis delicati sequimini,  
 liberos vestros ad exterarum gentium linguarum familiaritatem, in  
 primis Gallicae, prius adducere, quam consuetudinem cum lingua  
 patria

## VIII

patria contraxerint! vos saepe (nolite mihi subirasci, ego de tanto  
 officio, quantum mihi semper videbitur iuuentus educatio, animo  
 integerrimo vobiscum colloquer) de *Gallivo magistro*, aut, quia  
 multo viliori mercedula institutionem mancam atque miserabilem  
 collocat, de *magistra Gallica*, liberis vestris anquirenda prius solliciti  
 estis, quam hi voces germanas legere, illasque recte et distinete pro-  
 nunciare didicerint. Fidem mihi habeatis, vos ipsos istiusmodi libe-  
 rorum fingendorum ratione non parum conferre ad penitus aliquando  
 extingendum, saltem minuendum, in illorum animis *Patriae* char-  
 rissimae amorem, propterea quod non solum aures illorum nimis ma-  
 ture peregrinarum vocum sono atque suavitate titillantur, et nimis  
 sero linguae patriae grauitati adsuescunt, sed mores etiam peregrini  
 istiusmodi praecceptoris infirmis et mollibus liberorum animis tam  
 alte imprimuntur, ut adultiori aetate illos imitando exprimant. No-  
 lite enim hoc argumento contra me vti, *linguae patriae facilitatem*  
*ipso usu posse comparari*, pro vestra disciplina usui huius sermonis pa-  
 trii praecurrit *linguae peregrinae cognitio* (id quod iniquum est, quia  
 liberi vestri *Patriae*, non *Galliae*, nascuntur) et vulgaris consuetu-  
 do, ob supinam et frequenter in loquendo negligentiam, boni et  
 elegantis magistri locum non obtinet, sic dedecus, ex contentione  
 atque neglectu sermonis patrii dimanans, prope commune, et pluri-  
 morum fane Germanorum proprium est. Sed, missis his, *cuiusque*  
*populi artes atque doctrina coniuncta est cum ipsis lingua*. Qui enim  
 in cognoscendis atque inquirendis historiarum monumentis aliquam-  
 modo operam industriamque collocarunt, iis non opus est, ut magna-  
 orationis copia demonstretur, omnium populorum eruditioinem, ar-  
 tiumque liberaliorum cognitionem cum illorum sermone, vitae usu  
 recepto, semper cognitione quadam mutua contineri, ut, quo sol-  
 lertiorum assiduitatem *huius impenderint*, eo exquisitor et praestan-  
 tor *illa reperiatur*, et, quo latius patuerit illorum doctrina arque  
 scientia, eo maiores divitias, maioresque suavitates consecuta vi-  
 deatur ipsorum lingua. *Germani* non soli sunt, quorum exemplo  
 hoc collustrari possit, quique tum demum **HAGEDORNOS**,  
**HALLEROS**, **RABENEROS**, **GELLERTOS**, aliasque eiusdem  
 praestantiae scriptores, habuerunt inclarescentes, cum *linguam pa-*  
*trię* cordibus atque maculis multo accuratius purgare incepserant,  
 neque

neque *Romani*, quorum **CICERONES**, **CAESARES**, **LIVII**,  
**VIRGILII**, atque **HORATII** aequales esse non potuerunt **LIVIO**  
**ANDRONICO**, **FABIO PICTORI**, **ENNIO**, **CATONI** atque  
**PLAVTO**, sed *Graecorum* etiam atque *Arabum* lingua tam ingentem  
vocum copiam atque abundantiam nunquam esset adepta, nisi horum  
populorum de bonis literis tam luculenta tamque splendida fuissent  
merita, ut praecipui illarum auctores atque patroni, omniumque  
fere reliquorum populorum magistri censerentur. *Barbaris saeculis*,  
quaes densissimis tristissimisque tenebris involuta tenebantur, quid de-  
fuit? quare luctuosissima funestissimaque fuere? num ingeniorum ste-  
rilitate laborarunt? num sequentia tempora multo largiore prouen-  
tum tulerunt hominum, maiori docilitate, majorique inuestigandi  
sagacitate instruorum? profecto, nisi *linguarum eruditarum* cultus  
tunc temporis confessuisset, maximeque in Germania *sermonis patrii*  
studium omnino neglectum iacuisset, tantam calamitatem, tantamque  
bonarum artium iacturam majoribus afferre non potuisse horrenda  
ista barbaries, quae, simul ac sequenti tempore feliciori auspicio  
diuinoque consilio rursus colebatur literarum, ad veram humanita-  
tem pertinentium, campus, et *Germanorum lingua*, imperantibus  
Caesaribus Suecicis, aliqua saltene ratione ad poesin mollior atque  
suauior fingebar, licet non penitus propulsa proscriberetur, sta-  
tim tamen concusa de imminente fuga atque exsilio permulta exti-  
mescere coepit. Quid inde? sollertissima sane commentatione in-  
jungi et inculcari meretur omnibus Germanis indefessa industria atque  
vigilantia pro veneranda atque magis magisque emendanda *lingua pa-*  
*tria*, ne, illius studio intermortuo atque sepulto, ipsorum *arts li-*  
*beraliores atque doctrina* rursus ausugiant, illisque profugis, pristinae  
ignorantiae caligo reuocetur et restituatur, ita, ut hostis atque pestis  
sit *domesticæ elegantiæ*, qui, calumniandi veneno infectus, modi-  
cam assiduitatem, *sermoni patrio* consecratam, vituperet, aut, pul-  
vere antiquicatis monumentorum obruti iudicis vultum affectans, mi-  
serabilis risu excipiat omnes, qui aliquid tantum temporis atque ope-  
rae dant *linguae*, cui inde ab incunabulis ab ipsa *Patria* sunt adsue-  
facti. Iam quid dicam de necessitate culturae *linguae patriæ* in *usum*  
*terum diuinorum*, tam pro suggestu sacro, quam in *instituendis de Reli-*  
*gione rudioribus?* Quodsi **CICERO** nunquam, inquit, de *bono ora-*  
*tore*,

tore, aut non bono, doctis hominibus cum populo dissensio fuit, facile apparet, quantum laboris illi sit perfervendum, qui oratoris sacri munere perfungi velit, ne quid intermitat, quod ad Religionem non solum uniusculiusque captiu, sed etiam populari affectioni accommodandam, aliquid conserat. Populus enim si idem de oratoris praestantia, quod viri eruditione conspicui statuunt, iudicium fert, certe omnes ingenii vires ab oratore sunt intendendae, omniaque artificia adhibenda, ne ipse Religionis causulae desit, neglectis illis remedii, quibus aditum ad animos audientium omnium sibi parare, aculeosque in illis relinquere potest. Quid vero est, quod his subsidii, praeter mores oratorios, maiori iure maiorique commodo annumerari possit, quam linguae vernaculae elegancia, ubertas, atque suauitas? hae praeципuam fere et aequalem vim habent in eruditorum atque populi auribus, hae parum obseruatae atque violatae oscitantur reddunt omnes omnino auditores, quid? quod, taedium atque nauseam iniiciunt. Eleganciam enim qui turpiter neglit, is inquitate loquitur, neque solum singulas voces, sed etiam integras verborum coniunctiones profert, quas fugiunt aures teretes atque religiosae, quaeque eo magis molestae et ingratiae sunt, quo saepius in oratione auditu percipiuntur, ubertatis defectus neque aurium satietatem vincit, easdem semper voces, easdem dicendi formas, atque eosdem iungendi modos fastidiose repetens, neque liberam et latam, sed multo adstrictiorem et contractiorem efficit orationem, quam aures populi requirunt, et suauitas denique si desideratur, quo per mulcet orator facer? quo perfundet auditorum animos? quo illos feriet, perfringet, et percutiet? Nihil enim est, quod ad causam concionatorum miserandorum suscipiendam mones, doctrinarum divinarum vim per se tantam esse, ut sine his subsidii ad intimos audientium animi recessus penetrent, tantamque illis inesse grauitatem, ut omnes hae artes humanae multo infirmiores debilioresque sint, quam quae aliquid roboris addere, aut, si desiderentur, subtrahere possint. Verum est, omnes Religionis praecones in eo versantur, ut pracepta diuina de vita hominum instituenda tradant, siue, pro animali loquendi forma, omnes sacerdotes praedicant VERBVM DEI, sed, nisi fallor, ea constans et perpetua erit animi humani indoles, ut prior atque facilior sit ad assensum illis veritatibus praebendum, quae suauit-

suavitatum condimentis sunt obductae, atque oblitae, quam quae,  
 illis destituta, injucundi et molesti sensum afferunt, et, si ad ipsum  
 Religionis christianaë auctorem, eiusque disciplinam in patescendi  
 doctrinis sacris, respexeris, primo statim adspicere animaduertere  
 potes, illum ipsum hominum, tunc temporis viuentium, intelligentiae  
 multum concessisse, omniaque ad illorum de venusto atque ele-  
 gante genere dicendi iudicium accommodasse, ut nunquam animum  
 inducere possim, ad credendum, eiusmodi artificiorum humanorum  
 contemptionem alio consilio esse excogitatam, quam, ut profana  
 ignorantiae ingeniique tarditatis suspicione remota, *sacrae auctoritati*,  
 quantum fieri possit, consulatur. Ego verum supplicium atque tor-  
 mentum putarem, si istiusmodi sermoni sacro interesse cogerer, qui,  
 illo ornato priuatus, somno potius excitando, quam attentioni inflam-  
 mandae, aptus atque idoneus esset. In instituendis yero de Reli-  
 gione rudioribus quamquam permulta adhuc alia perspicuitatis conse-  
 quenda remedia, quibus lux inferri potest doctrinis tradendis, omni-  
 bus satis superque cognita sunt, tamen vix verbis exprimi potest,  
 quantum adiumenti accurata et absoluta *linguae patriae* cognitio praæ-  
 stet. Quæsiones enim sexcenties saepe permutandæ sunt, ut imbe-  
 cilliores atque tardiores ad rectam responcionem, sponte sua inue-  
 niendam, sensim adducantur, verbis palaestrae atque olei alia sunt  
 substituenda, quae turbae ciuilis, atque adeo intellectu faciliora vi-  
 deantur, voces ambiguae cedere debent clarioribus, vocabula, no-  
 tioni exprimendæ aptissima, semper illis sunt præferenda, quæ huic non respondeant, integræ formæ dicendi, quæ significatione  
 non differunt, et a diuersis quasi rerum docendarum faciebus dedu-  
 cantur, saepissime sunt coaceruandæ, quam mollis igitur, quamque  
 flexibilis in erudiendo debet esse oratio, ut sequatur, quounque  
 torqueas, quanta copia verborum, in consuetudine populari idem  
 valentium, quanta diuitiae integrorum loquendi modorum, eandem  
 vim atque potestatem habentium, debent esse in promptu! quidni  
 igitur? *linguae vernaculae* diligentissimam culturam ab unoquoque il-  
 lorum maximo iure non putas esse exigendam, qui ad diuinarum re-  
 rum intelligentiam omnes cogitationes suas atque omnia studia con-  
 ferre constituerit? idem dixerim de *legum iurisque studioſis*, et de  
 omnibus iis, qui animum ad *confignandas historias appulerint*, nisi ve-

## XII

rendum esset, ne nimia argumentorum abundantia, nimiaque orationis vbertate, in vrgenda linguae patriae necessitate, molestias creatrem superfluas. In ecclisis enim agendis quantam vim habere potest elegans atque venusta defensio in iudicis animo, et, in conficiendis rerum gestarum monumentis quid suavitatis, quid voluptatis affert grata verborum ratio, et genus orationis fusum atque tractum, et cum lenitate quadam aequabili profluenus! abripitur et tenetur iudex genere dicendi, a iudiciorum consuetudine, et forensi sermone abhorrente, frontem contraquam explicat, et sententiam pronunciat, caussae patrōnō honorificam, abripitur et tenetur historiarum lector generis scribendi urbanitate atque variatione, lactea quadam vberitate nutritur, et, quia legendi cupiditatem nunquam fere explore potest, non sine maxima violentia a lectioñis continuatione auocatur et retrahitur. Itaque procul hinc, procul ite, profani vos contemtores linguae Patriae suauissimae, pudeat vos barbarie domesficae, abscondite vos in vastis ignominiosae vestrae ignorantiae lustris, et, ne clamoribus, et conuiciis, et sibilis vos conscientur atque explodant amaniores Patriae ciues, hinc nunquam in illorum adspectum prodire conamini!

In ipso huius commentationis initio nisi apud omnes delicateae atque mollis aetatis nostrae studiosos mihi ipse quid intriuisssem, quod non sine maxima animi aegritudine erit exedendum, nihil mihi certius esset sperandum, nisi hoc, fore, vt iidem viri, affiduitate atque indefessa in addiscenda lingua Patriae industria tot argumentis a me commendata, se mihi praebeant maxime liberales atque propitios. Vtinam vero illis placeat, eadem comitate atque mansuetudine, qua in iudicandis his rationibus erga me vbi sunt, illa perlegere, ad quae nunc progrediendum censeo, sed hoc est, quod frustra optari videtur. Indignatio enim atque ira, prima huius prolusionis parte in animis ipsorum fortasse extincta, nunc certissime in nouas flamas erumpet, nunc recrudescet vulnus, ipsis inflatum, quod coalescere videbatur, nunc ipsorum criminandi studio noua alimenta praebebo, nunc nouis conuiciis ferient aures meas, si, tanquam doctor umbraticus, prorupta audacia arque impudente temeritate de actatis praesentis nimia sermonis patrii cultura querimonias mouero. Sed, quacunque in me sint voluntate, aut potius inhumanitate, nunquam tamen impedi-

pedient, quo minus ipsorum beniuolentiae nihil omnino concedendum iudicem. Studium, quo nostrae aetatis homines non tam tenentur et feruntur, quam abripiuntur et trahuntur, ad opinatam *linguae germanae* emendationem, tam immoderatum, tam feruidum, tamque furiosum est, ut, eruditis, quae vocantur, linguis longe multumque postpositis, in illam solam incumbant, illique principatum vindicent. Quam *impar deprehenditur cupiditas, qua leguntur germana scripta, et libri latini!* non solum illa eruditionis documenta, quae nostris temporibus *lingua latina* exhibentur, quaeque non omnia tanta negligentia, tantaque eleganciae ignorantia confecta sunt, ut priscæ latinitatis censoribus animaduersione atque castigatione digna videantur, sed etiam aurea illa *Romanæ antiquitatis monimenta a plurimis* cum auerstatione quadam abiiciuntur. Quot reperiri credas illorum, qui, muneric partibus perfundi, otium consecrent legendis scriptoribus, qui ob insignem excellentiam dicuntur *clasci?* quam immensus putes numerum illorum, qui, humanitatis nomine indigni, literarum humaniorum disciplinam late regnare, et rerum magnitudine atque utilitate amplam et vberem esse, iniquissime negent, ita, ut scriptores *Romanos* (quid enim garriam de *Graecis?*) inter reliquos ipsorum libros, in forulis librariis magnifice collocatos, frustra queras? noli me interrogare, quae causa sit, quod tantam indignitatem experiantur et recentioris et antiquioris aetatis *scripta latina*, alioquin bona fide (probe me iam nosfi) et pro vero animi iudicio mihi respondendum est: *tam late iam dominatur barbaries, ut ab omnibus, qui eruditii nominari cupiunt, non intelligantur, hinc plurimi e re sua putant, se aduersus eiusmodi libros superbia munire, et contentu armare.* In quot manibus vero versantur *scripta germana!* quanta cupiditate, quanta fame leguntur! omnes illi eruditorum nostrorum, qui elegantiori aetati quam accuratissime respondere, solo in honore positum putant, quique adhuc dubitant, *Musis, an Nymphis* nomen profiteantur, illorum lectione assidua capti tenentur, omnes illos hebetes, obtusos, agrestes, vastos, surdos, adque luscios vocant, qui ingenium diuinis illis libellis fingendum (*delendum*) non tradiderint, epulis accumbentes cibos capitendos his condimentis sibi iucundiores dulcioresque reddunt, muneric grauiissimi laboribus religiose peractis, animum suauissimis hisce dapibus atque nutrimentis recreant,

ant, aut in ambulationibus, ad maiorem voluptatem percipiendam, germani cuiusdam scriptoris librum in succum et sanguinem converunt, et vel in lectis harum Gratiarum consuetudine tam diu delectantur, donec Morpheus amabilis illos, tot negotiis atque molefiis defatigatos et confectos, somno oppreserit: omnes illae feminarum nostrarum, quae persuasum habent, veram pulchritudinem, verumque pretium cerni in cincinnorum fimbriis, ope comarum adulterinarum, sive caprinarum, sive equinarum, artificiose compositis, atque in reliquo capitis ornatu, per gradus in excelsum, *inflas suggestus*, exstructo, hae omnes igitur, ne animalia ipsarum tenerimae incultae negligantur, ex his fontibus salubres liquores ducunt, et ingenia atque pectora irrigant, in circulis, quibus potionem e fabis orientis parantur, e sacculo acuum ad texendum necessarium libellum germanum (non illum, qui inscribitur: *de sapienter administranda re domesticā, sive Hausmutter*) protrahunt, cuius suavitates in bonarum amicarum animos praelegendo transfundant, et rei culinariae cura ne aut formosam faciem fumo, aut manus callo obducant, hinc multo gratori quodam spiritu afflari se malunt lectione fabulosae cuiusdam historiae, aut comoediae lingua germana scriptae: multi nostrorum iuuenum, qui beati RHENI alapas nonnunquam adhuc tentunt, quique in addiscendis regulis primariis, aut in repetendis scholis multo seniori ratione tempus consumerent, perniciosissimo istorum librorum veneno mature iam inficiuntur, lectionibus dum interfunt, illos ad manum habent, sibique multum iam in literis posse videntur, horum scriptorum lectione ingenium simul ac fuit nutritum: immo serui circum pedes atque ancillae nostrae a studio istiusmodi librorum tam prope fortasse absunt, vt illi in conclavi exteriori, aut in carpento, sive domino a tergo stantes, sive apud equorum agitatorem confidentes, et haec, quamvis non purgantes in labore folidas patinas, neque scopas ad aedes verrendas dirigentes, tamen in culinae scanno sedentes, ollamque, carbonibus repletam, intra pedes stola circumdantes, oculos illis libris mox habeant infixos. Num igitur adhuc dubitas de aetatis praesentis nimia sermonis patriū cultura? Berolinenses quidem eruditii, in *Bibliotheca universa Vol. XII. P. I. p. 300.* haec statuant: wenn man die Wissenschaften auch unter andern Klassen von Bürgern zu bringen anfängt, die keine gelehrt

lehre Erziehung bekommen haben, und so bald der Geschmack am Bucherlesen sich mehr, und auch unter das andere Geschlecht, ausbreitet, alsdann fängt die Nation an, sich aufzuklären, sed liceat respondere: *Literis collustrati sartores, sartores, et reliqui opifices, quid? quod, feminae, literarum luce illuminatae, h. e. eiusmodi homines, qui, abieclis sordidae artis suae, aut rei familiaris et domesticae, instrumentis, locum inter eruditos occupant, et tabernas culinasque cum doctorum auditoriis permuntant, necessario aetatem nostram multo feliciorem reddent, quam illi soli, qui sectae tremulantum, aliorumque fanaticorum, sunt adscribendi.* Quae porro sunt illae literae atque artes liberaliores, quas scriptores nostri *carminibus Anacreontis, fabulosis historiis, aliisque libellis, longe lateque inter cives diffundunt?* quid denique eiusdem Bibliothecae universae Vol. XIX. P. I. p. 303. legitur? wenn es in dem Kopfe des Unterthanen nur einmal so klar ist, dass er weis, wie er sein ehrlich Gewerb, und seine Wirthschaft am vortheilhaftesten treiben soll, dann ist er aufgeklärt genug; zu urtheilen, ob sein König einen gerechten Krieg führe, ob die Steuer, die er fordert, billig sey, ob das Fegfeuer nebst dem theologischen auch noch einen politischen Grund habe, das braucht der Kanne-giesser nicht zu wissen, u.s.w. bene, facilis est accommodatio! Sed redeo. Plura, quae fidem faciant, addenda sunt, quid sentis de nimis impari librorum latinorum et germanorum multitudine? horrenda sane librorum, lingua germana compositorum, eluione inundatur, omnes, qui ingenii ostentationem spectant, et eruditionis laudem magnique nominis celebritatem appetunt, gloriae immortalitatem *scriptis germanis* sibi conciliari existimant, latinorum librorum, qui nostra aetate in lucem publicam emituntur, tam exiguis certe reperitur numerus, vt vix unus itemque alter hinc inde recens editus conspicatur. Ex nonnullis tabernis librariis nuper quosdam indices accepi, quibus nomina atque inscriptiones continentur librorum nouissime typis exscriptorum, et quo quis pignore cum unoquoque contendere ausim, latinorum librorum numerum singulis nundinis magis magisque minui, germanorum tantopere augeri, vt vires ingenii humani vix sufficiant excogitandis novis librorum denominationibus. Quid? num tam pati ci sunt, qui lingua Romana mentis cogitata publico adspectui subiecte possint? ista effutire frontis sane perfrictae, animique esset im-

puden-

## XVI

pudentissimi. Diuino aliquo munere permulti nobis hoc usque concessi et conseruati sunt Viri, diuinorum humanarumque literarum Consultissimi, qui librorum, ab ipsis sermone latino editorum, elegantia atque urbanitate quam proxime accedunt exemplis *Ramanae antiquitatis* venustissimis, quique impediunt, quo minus literae elegantes penitus lapsae praecipites eant, sed religioni sibi ducunt, bonum redemtorem *operum suorum latinorum* nummis emungere, audoresque fieri poenitentiae nocentis. *Bellae literae*, et *scientiae pulchrae*, quae satis eleganter vocantur, eaeque folae, nostra aetate exceptuntur, *libri germani*, ad has pertinentes, quam cupidissime emuntur, hos, veluti amicas (*amias ignor*) suas, amplectuntur, atque exosculantur experientissimi nostri *bellae literaturae* censores, *latine* scriptos libros non fert aetas nostra, hanc mercem vilem atque obsoletam non facile quisquam quaerit, et bibliopolae, quia verentur, ut sumtus, quos in eiusmodi libros edendos impenderint, ipsis compensentur, nullo modo sibi persuaderi patiuntur, ut illis in publicum vsum emitendis manum admoueant. Adeo non tam tepeſcere, quam frigescere videntur *Romana!* adeo dominantur *Germana!* et ut quisque est humanissimus, ita liberalissimus est in gratificando delicatulis nostris aequalibus, eorumque corrupto gustui atque moroso fastidio. *Berolinenses* eruditii hic rursus sequentia afferunt eodem Vol. XIX. P. I. p. 301. *Diejenigen, die ihrem Berufe nach Gelehrte sind, können sich das Bedürfniss einer gewissen Art von Schriften nicht denken, die ihnen verächtlich scheinen, weil sie als Gelehrte nichts daraus lernen können, sed vobis, bonae literae, quia vobis idem apud nos accedit, quod apud otiosos Athenienses, et luxuriosos Corinthios vobis accidisse legitur, ut NECESSARIAE ARDELIONVM DELICIAE putemini, ad tempus prauumque otium conterendum!* Quae omnia quamquam vix credenda videntur, tamen in multo maiorem admirationem ut abriplamur, necesse est, animaduerentes, ipsis linguis eruditis anumerari linguam germanam, ita, ut exinde etiam praefensis aetatis nimiam linguæ patriæ culturam, quam luculentissime comprobari posse perfusum habeam. Nihil dicam de more, in Academiis a plerisque doctoribus recepto, quo in scholis habendis tantum honoris tribui, ut in censum illarum referatur, quae obtinent inter

inter eruditos, si res, doctrinae cuiusdam partes respicientes, tractantur. Verum est, abitus discipulorum e scholis nimis acceleratus praeter vulnera illa, que ipsis iuuenibus nostris infligit, haec etiam incommoda atque pericula necessario affert literarum reipublicae, ut linguarum eruditae antiquitatis ignorantia atque barbaries in dies latius serpat, et magis magisque iuualescat, sed fortasse ipsi Viri illi, qui de intermissione laborum nostrorum in fingendis iuuenum ingenii sane iniquissimas querelas iactarent, abrogata illa germanae docendi consuetudine, impedirent, quo minus iuuenes nostri, intemperie immoderatae Academiae cupiditate trahi, scholam relinquenter, et ex illa, pennis nondum fatis firmis sustentati, evolare cuperent. Haec tamen missa faciam, num omnes libri, qui *lingua germana* conserbuntur, nihil aliud continent, nisi ludos scenicos, fabulas Romanenses, aut alias eiusmodi delicias, sive potius ineptias, an variae etiam disciplinarum sublimiorisque eruditionis partes in illis traduntur? sagacissimi, qui sibi videntur, Religionis amantissimae aduerfarii, ad perturbandos imperitorum animos, maxime pestiferam machinationem atque clandestinum artificium excogitarunt hoc, ut animi malitiam, dicacitatis acerbitudinem, et calumniandi rabiem, ad fundamenta Religionis christiana labefactanda et conuellenda, *libellis germanis* exprimant, nequitaue venenum mortiferum euomant, multae praeterea doctrinae, ad cognitionem legum, artis salutaris, philosophiae, aliarumque altiorum artium pertinentes, vitae Virom eruditorum curricula, aut *lingua patria* describuntur, aut ex peregrinis linguis, non *latine*, sed *germane*, vertuntur, scriptores classici, tam *Graci*, quam *Romani*, in *linguam vernaculaam* transfruntur, voces, ad consequendam perspicuitatem atque breuitatem ab eruditis inuentae, quae dicuntur *termini technici*, sermone germano indicantur, ut nihil amplius restet, quod ad penitus extirpandam inter Germanos *linguam latinam* multum conducere possit, quodque permultis sane gratissimum foret, nisi hoc, ut *disputationes academicae*, et *publicae ingeniorum in distribuendis stipendiis atque honoribus explorationes germana lingua instituantur*. Quis vero est tam remotus et abalienatus ab omni partium studio, quin liberalissime fateatur, hanc sermonis patrii culturam multo maiorem iniquioremque esse, quam quae probari praedicarique possit? Quid denique dicam de

## XVIII

nonis *istis* vocibus, quae contra omnem analogiam, quae dicitur, formantur? nonne exinde eadem linguae nostrae, eaque nimia, cultura evidentissime apparet, de qua in praefentia verba facio? CICERO, qui ipse multis vocabulis, duabus ex græcis fontibus, locupletauit linguam latinam, lib. III. de Fin. bon. et mal. concessum est, inquit, a Græcia, ut doctissimi homines, de rebus non perulgatis, in statu verbis uterentur, quanto magis id vel nobis est concedendum, qui ea nunc primum audemus attingere? In lingua, quae versatur in vſu vitae, verba recens inuenta, si propter necessitatem (h. e. ad exprimendam rem nouam, cuius nomen adhuc desiderator, aut ad quam antiquum non satis commode transferri potest) sint ſida, neque ei, quae analogia vocatur, repugnent, ferantur, quamquam et hic opus est cautione, vt in oratione populari tam demum illis vtatur, cum ita inualuerunt, vt ab omnibus intelligentur, nostri vero nouorum vocabulorum opifices hic tantæ sunt audaciae, vt vocabulis recens proficis ad r̄sum atque illusionem iterum iterumque nos prouocent. Primo enim, qui modo aliquem linguae cuiusdam leniter fluentis ſenſum habet, is ſane mihi facilis in concedendo eſt, lingua germanam multo minus teneram atque flexibilem eſt, ad formandas novas voces, quam fuerit *Romanæ*, et maxime *Græca*, quia plurimis illius vocibus, iisque simplicibus, in eſt durities quaedam, quae non nunquam impedit, quo minus facile ſequuntur, illas si ad compositionem cum aliis torqueat volueris, vt magna diligentia per ſe fit adhibenda, ne aures, gratiore linguae ſuauitati adsuetudine, perficiantur. Deinde proclinatas istorum nouitatis ſectorum tanta, illorumque munificentia tam prodiga tamque larga eſt, vt, etiamsi nulla linguae paupertas sit ſubleuanda, auctiores tamen ſiant vocabulorum nunquam auditorum, certe ex nulla alia ratione, niſi, vt, antiquitatis fastidio capti, delicate in inuestigando ſagacitatis famam præferant. Similitudo porro, atque recepta et obſeruanda in fingendis comprehendisque vocibus conformatio tam ſupine atque friuole ab hisce fabricatoribus negligitur, vt maxima vis nobis fit afferenda, ne in cachinnum vel effusissimum erumpamus, audiētes talia vocabula, quæ linguae monſtra, portenta, atque prodigia ſunt nominanda, aut ordinem quendam illorum, qui primariis Grammatices regulis quam proxime aduersatur. Immo vix fieri potest, vt retineat ab indignatione atque

atque vehementia, si perpendo, istos artifices vel eo licentiae contra omnem religionem progredi, ut istiusmodi mercem *sacri suggestus* auctoritate dignorem praestantioremque reddere, et in tradendis rebus diuinis, ad molliorum atque odoribus suauibus perfusorum auditorum gratiam, aut plebeiazum muliercularum admirationem captandam, tam absurdis, tamque insulsis ineptiis vti audeant. Siccine legati diuini partes aguntur? Siccine Religionis amantissimae grauitas augeatur, auchaque audientibus iniungitur? Quibus omnibus simul sumis, vt maxime impar deprehendatur librorum latinorum et germanorum cupiditas, ut germanorum librorum multitudo longe multumque excedat atque vincat numerum latinorum, vt eruditis linguis annumeretur germana, et, tam praeter necessitatem, quam contra omnem analogiam formetur innumera nouarum vocum ceterua, nemo facile sapientiorum reperitur, qui *inhumanitatis*, aut *domesticae barbariei* me accusandum censeat, si de aetatis nostrarae nimia sermonis patrii cultura conquerar. Rideant, aut oderint, et calumniis me dilacerent omnes, quibus haec querimoniae iniustae et iniquae videantur, quiique, nouitatis folius ardore incensi, in dubitationem vocent, *linguae patriae* studium vñquam nimis vrgeri posse, ego, quamvis aegerrime feram, *Patriae* amore illis si cedere cogar, tamen persuassimum habeo, omnia haec ferooris in *linguam vernaculaam* documenta esse eiusmodi, vt, quo luculentius illum testentur, eo grauiorem perniciem affrant eruditio.

Nihil enim certius, magisque indubitatum est, nisi hoc, *nimat sermonis patrii culturae* foecundam parentem esse hodiernae barbariae, et hoc vnum est, quod comprobandum adhuc restet. Constanti et bene confirmato animo ad postremam hanc prolusionis praesentis partem progredior, quamvis aduersarii, quos initio hujus commentationis me criminantes induxi, vel vehementissimo odio inquammentur, ipsorumque numerus tam immensus sit, vt vbiique locorum me cingant, cinctumque prosternere concutur. Iniurias atque calumnias, quas indignas patimur, non video, cur vereamur, illarum ope nihil disceptatur, et, qui principatum in illis congerendis et coaceruandis positum putat, is tam sordidus atque illiberalis videatur honestioribus, vt nihil humanitatis atque dignitatis cuiquam subtrahere possit. Veritas argumentis confirmatur, non conuicis, hinc

ea pant et perstringant me, quicunque velint, ego, his praemunitis, tres illas rationes, quae in promtu sunt, fidem vt mihi habeas, proferam. Vna est: *nimia linguae patriae cultura ideo hodiernae barbariae causa est*, quia *linguas eruditas, earumque studium propellit*. Non opus est magna orationis vertate, causa, quae in praesens agitur, ex antecedentibus intellectu facillima est. Maxima aviditate vel ab iis, qui eruditionis laudem sibi vindicant, leguntur *germana scrippta, latina vero, tam, quae recentioris, quam, quae antiquioris aetatis sunt, susque deque habentur, libellorum porro, qui nostris temporibus lingua patria consuuntur, (confarcinantur dicerem cum multis, si probatae latinitatis esset) tanta mole opprimimur, vt vel otiosissimis ardilionibus, gratis anhelantibus, tempus non sufficiat, quod impendant illis perlegendis, latinorum vero librorum, qui nostra aetate in publicam lucem prodeunt, tam exiguis, et, ratione temporum maiorum nostrorum, tam deminutus numerus reperitur, vt fere in admirationem abripiamur, si praeter omnem exspectationem unus itemque alter oculis nostris fuerit subiectus, ipsis denique linguis eruditis haud impar putatur *lingua Germanorum*, vt non solum permulta res, quae ad aliquam eruditionis partem sunt referenda, germane describantur, sed etiam ipsa doctae antiquitatis tam graeca, quam romana monumenta versionibus germanis exprimantur, quid igitur aliud exinde necessario sequitur, nisi hoc, vt quam studiofissime elaboret aetas nostra de fugandis et expellendis linguis illis, quae magistrac omnis exquisitae et accurate eruditionis sunt praedicande? Sic, non actis quasi cuniculis, sed aperto Marte, atque inferissimo imperio oppugnatum eunt bonas literas illi ipsi viri, quibus splendidum eruditorum nomen non putatur recusandum, sic studium Graecorum atque Romanorum non tam impeditur, quam extirpatur, sic deletur et exstinguitur apud nos exercitatio linguarum, quas illi populi cupidissime coluerunt, a quibus omnis cognitio humana ad nos dimanavit! Quid vero, inquit recentioris eruditionis amantisissimi, quid detrimenti nobis affert haec pristinarum linguarum iactura? valeant, valeant ista iuuentutis nostrae tormenta! quoties in pueritia, illas ut addisteremus, grauem sensimus magistri manum, armatam virginis atque baculo! quid optati nosris iuuenibus contingere potest, quam esse tam felicibus, ut liberentur ab his cruciatibus, iisque tam exquisitis, quam*

quam omnino superfluis? quae maiora et gratiora merita in illis conferre possunt eruditii, quam si omnem operam omnemque animi intentionem ad id dirigunt, quo proscribant has nugas scholasticas? O si tacuissestis, vos, boni viri, quantam ignorantiae ignominiam vobis conflatis ipsi! literis graecis et latinis si nihil tribuere inceperimus, vestris bellis literis, quas nominatis, omnia, necesse est, ut sub pristinum barbariei iugum, et ad pristinas tenebras reuocemur. Vos sapientia atque intelligentia, in pretio Humanitati statuendo, nobis longe multumque praestare vobis videmini, sed tantae estis iniquitatis, ut magistrorum vestrorum imprudentia atque ieiunitate ipsam Humanitatis disciplinam metiri, et, qui illis debetur contemtus, ad eundem literas humaniores vocare velitis? Vos elegantioribus in artibus optime versatos esse alii persuadere studeatis, sed historiae monumentorum tam egregie hospites et peregrini estis, ut nesciatis, funestissima illa saecula, quibus mens humana stupenda superstitionis vinculis tenebatur, ob ignorantiam literarum graecarum et romanarum barbara, et seiuicia ab omni elegantiae cultu fuisse nominata? non vobis verendum videtur, ne, venerandae antiquitatis linguae si rursus sepultaet neglectae erunt, caligo atque tenebrae densissimae redeant, nihil est, et multo minus in eo sunt omnia, si dicitis: nonnulli scriptorum nostrorum, quos in deliciis habemus, felicissimi in inquirendis Graecorum et Romanorum vestigiis fuerint, imitandique studio quam proxime ad illos populos accesserint, hos igitur nostrum si imitando consequi studuerimus, illis ipsis vetustatis monumentis supersedere possumus, neque ullu metu, ne barbaries pristinas sedes rursum occupet, percellimur. Quinam sunt illi, quos e nostris scriptoribus cursim ad graecos romanosque fontes flexisse putatis? num ingenia illorum vere continebantur horum populorum aemulandorum studio, an vos, opinione quadam decepti, hoc persuasum putatis? esto tamen, nec nego, ita esse, num hi omnia tanta avaritia e scriptis graecis et romani corraserunt, ut vobis nihil omnino relictum sit, quod in rem vestram conferre possitis? Iam satis de hoc, arctissime cum illo coniunctum est alterum argumentum, quod nunc tractabimus. Actatis praesentis nimia sermonis patrii cultura carissa est hodiernae barbariae, propterea quod ingenua remouet ab ardore imitandi optimum. Arbitrari nequeo, falli me, si dicam, caussam, cur inde a tot saeculis principes Graecorum Ro-



## XXII

manorumque scriptores dignitatem suam obtinuerint, esse hanc, quod apud eos in *rebus et verbis* maxima reperiatur diligentia, quodque soli omnium sint accuratissimi in rebus mente concipiendis, et in illis, quae cogitarint, exprimendis. Assidua illorum lectione alitur suis nutrientis, et acuitur artibus idoneis sensus ille ordinis, decoris, atque pulchritudinis, purissimi ex illis profluant omnis sapientiae, eloquentiae, poeseos, historiarumque fontes, et in dilectu verborum tantam munditiam, urbanitatem, perspicuitatem, concinnitatem, copiam, atque suauitatem obseruant, ut nihil ad delectandum movendumque cogitari possit aptius. Hinc non est, quod mireris, tantam praestantiam illis ab liberalissimo quoque Humanitatis aestimatore concedi, vt recentiores scriptores a communione aequalis laudis atque opinionis, quea de antiquis est, prohibeat. Viri illi non fuerunt doctores vmbriticci, sed in administranda republica versatissimi, et rebus, domi militiaeque gestis, celeberrimi, qui gloriae suae nihil detrahi putabant, sed summae laudi sibi duecabant, si eruditiois ad miniculo de hominum institutione atque emendatione elaborarent, apud ipsos populos, inter quos viuebant, doctrina atque opera scriptoris non annumerabatur vita sustentandae remedii, sed libere atque ingenue ad salutem publicam augendam adhibebatur, qui literarum artiumque liberaliorum cultura reliquis praferri merebantur, inter illos summi honores et laudes maximae ab integro populo largissime distribuebantur, et multos denique annos in conficiendis monumentis consumebant, illaque, summa industria atque assiduitate limando et poliendo emendata, peritissimorum iudicium explorationi prius subiectiebant, quam in lucem ad speculumque publicum emitterent. Ab horum igitur, eorumque longe praestantissimorum Virorum imitatione *ninia sermonis patrii cultura* nos remouet, majorique in dies dillimitudine ab iis sejungit, adeo, vt permulti iam nostrae aetatis, ad ignauiam atque mollitiem inclinatae, homines in scribendo, maxime *latine*, negligenterissimi sint, prodantque libros, quos, velut ingenii partus, magis inchoatos immature per vim excusuisse, aut per temeritatem effudisse, quam cura et diligentia absolutos edidisse videantur. *Nolite*, vos, boni viri, qui contrarias partes tuemini, *nolite rursus prouocare ad elegantissimos*, quos putatis, scriptores germanos, *persuasione capti*, vos, illis *si assidue legendis studueritis*, quia *ingenia sua veterum pastu bene nutrituerint*,

*uerint, quam proxima imitando accessueros esse optimo.* Ex parte enim,  
 quod attinet ad hanc opinionem, vobis iam respondisse mihi videor.  
 Sunt viri, quibus operam datis, in *rebus* accuratissime mente conci-  
 piendis, et in *is*, quae cogitarint, *lingua patria* elegantissime expri-  
 mendis, sint, inquam, aemulationis laudandae studiofissimi, quomo-  
 do vero in illorum consuetudine atque familiaritate *linguae latinae* ve-  
 nustatem atque copiam vobis comparabit? de hac, ut dicitis, 'vos  
 parum solliciti estis? vobis sufficit, mentis cogitata qualicunque ratione  
 cum eruditis latine posse communicare? profecto istiusmodi illiberalia at-  
 que sordida iudicia, quorum similia ne ex opifcium quidem ore audi-  
 untur, silentio honestiori comprimit! simulac cibos, *corpusculo ve-*  
*stro* paratos atque appositos, immundos fastidiososque et esse patie-  
 mini, et sumere sustinebitis, tunc statim mihi perfunctissimum erit,  
 istiusmodi sermonibus, quibus in *ingeniorum animorumque nutrimentis*  
 munditiae atque elegantiæ rationem habendam negatis, amplius quid  
 inesse, quam *solam ignauiae atque ignorantiae disimulationem.* Bero-  
 linensis Vol. XIX. P. I. p. 152. de *lingua latina* sic iudicant: *sie ist ei-*  
*ne Sprache, die uns in den Wörterbüchern den ganzen Schreibstoff*  
*darbietet, und die man durch die blosen stilistischen Uebungen gar bald*  
*erlangt, sed noli ridere, haec contra KLOTZIVM sunt dicta.* Pressius  
 agam, superest adhuc tertium argumentum, quo *hodiernae barbariae*  
*origo ex nimia sermonis patricultura deriuanda confirmetur.* *Altur ni-*  
*mis effrenato linguae germanae studio pigritia scholastica.* Nihil dicam  
 de communi illa legendorum librorum germanorum aetatis nostrae pro-  
 pensione, quae vel iuuenes nostros, in scholis adhuc commorantes,  
 inuasit, quamvis permultum quoque, vt ad corruppendos animos,  
 sic ad reducendam luctuosissimam istam barbariem, conferat. Quod  
 in *censum* *linguarum eruditarum* refertur germana, exinde sublevandæ  
 innertiae iuuenili, et barbariae restituendæ maxime consulitur. Probe  
 enim sciunt iuuenes nostri, Academiarum doctores tantæ humanitatis  
 esse, vt scholis, *latino sermone* habitis, auditores non excrucient,  
 quid igitur sibi vult morosus et difficilis ludi magister, negans, hunc  
 itemque alterum discipulum tantos in *latinitatis* curriculo progressus fe-  
 cisce, vt lectionibus Professorum cum utilitate interesse possit? stultitiae  
 accusandi sibi videntur, si *linguae latinae*, tanquam intermortuae, cogniti-  
 oni comparandae indefesso studio assidere velint, opinantes, hac consue-  
 tudi-

## XXIV

tudine, eaque dira, qua doctores olim *Romana lingua* vtebantur, sapientissime abrogata, nullam omnino aliam utilitatem, ex libris *latinis* redundantem, esse sperandam, illamque huius linguae facilitatem atque intelligentiam, quae forte aliquando requiratur, ut *exploratori*, aut, si disputando specimen quoddam erit exhibendum, *aduersario grauiſſimo*, pauca submissio murmure respondeant, in ipsa Academia, vbi collegia *examinatoria*, *disputatoria*, quid? quod, *fili*, quae dicuntur, frequentari soleant, adiuuante Deo se posse adipisci. Item porro, istuc voluerant *plurimi* iuuenes, non pauci antiquitatis scriptores, quorum lectione alumni disciplinae scholasticae continentur, in *linguam germanam* transferuntur! Liceat, paullulum accuratius, et si breuiter, perniciem, quae iuuentu bonisque literis eiusmodi interpretationibus affercur, in fine huius commentationis describere, quod, quia utilissimae existimantur, maxime necessarium iudico. Verum est, (*magni enim poenitere non em*) ne vnam quidem illarum mihi comparaui, neque iudicium de eius praestantia ferre possum, sed aliorum, eorumque longe peritorum, iudicium suffragii, publicis in *commentaris* promulgatis, edoctus scio, inter omnes, quae hue usque prodierint, horum scriptorum explicationes *germanas* fere ne vnam quidem reperi, quae mentem scriptoris, aut eadem breuitate, atque simplicitate, aut eodem ornatu, eademque grauitate reddat. Quod si videbitur audacius dictum, *HEILMANNI* beati velim diatriben legas, in eunte volumine altero *Opusculorum*, *Prüfung einer neulich herausgekommenen Uebersetzung des Herodotus, mit einigen Gedanken vom Uebersetzen*. Hic praecepta interpretandi tot dedit, tamque grauia, ut, quam sit arduum interpretis minus, facile intellētu sit. A quonam vero illud certius expeditasse, quam a *GOLDHAGENIO*, Rectore Magdeburgensi, qui *HERODOTVM germane* conuertit, qui vero toties aberrauit, ut satis mirari non possumus. Quanto tibi aequior videbitur sententia mea, e qua apparet, *germanos* illorum scriptorum interpretes multum laborare ad deprauandum omnem pulchritudinis sensum? num fieri potest, ut singularum vocum, et integrarum loquendi formarum potestate exquiste et diligenter percipiam, nisi omnes scriptoris recessus, latebras, notas, et quasi nutus intellexero? concedamus vero, quod alii contendere volunt, has *germanas* veterum librorum, tam romanorum, quam *maxime* graecorum, explicationes

tanta



tanta dexteritate esse composita, quae vñquam in eiusmodi labores cadere poslit, impeditunt tamen iuuenes, quo minus mentis vires ad id intendant, quo ipsi inuestigare possint, quae scriptor senserit. Tanta enim fide, quasi iurati in eius verba, interpretationi adhaerent, vt vel latum unguem ab illa haud recedant, adeo, vt illorum linguae veteris cognitio, quotidie amplificanda, artis et angustis limittibus cohabeatur, et omnino nullas, aut saltem perexiguas accessiones sibi conquerere possit. Multi quidein sunt, qui dicant: *ingenui atque liberales iuuenes, qui linguaram antiquarum studio flagrant, illarumque eximiae utilitatis certissime persuasi, singulas scriptorum suavitates suis oculis cernere, iuicundamque cum illis familiaritatem sibi contrahere gestiunt, tunc denum ad eiusmodi riulos configuant, cum reliqui fontes, ex quibus haurire possunt, et solent, ipsis fuerint praetulsi.* Sed, etiam si hoc pro ipsis opere sic compararet, improvidum tamen ac stultum est, animi iuuenilis liberalitatem hac ratione periclitari. Iuuentus semper proclivis est, vt omnium remedium, quorum ope difficultates in literis colendis infringi atque superari videantur, periculum faciat, illa vero instituendi ratio, quae remouendis omnibus, *iusque vel leuissimis, salebris atque impedimentis operam dat, quia exquisitam et diligentem eruditionem nunquam conciliat, penitus inutilis, atque ridicula est.* Cures, vt bona et sollicite emendatae veterum scriptorum editiones, sive exempla, sint in iuuenum manibus, praeſicias illis idoneas atque industrios praeceptores, qui ad vitam scholasticam naturali quadam impetu feruntur, ipsis vero iuuenes in eam confuerendum adducas, vt, omnibus mentis atque ingenii viribus rei tractandae intentis, non tam audiant, quam auscultent, et prospere succedent omnia. Breuiter. Nihil utilius, confilio **QVINCTILIANI** de lingua Graeca cum Latina coniungenda, *cum aequali cura utramque tueri cooperimus, neutra alteri officiet.* Excolamus patrium sermonem, sed, nos etiam ad doctorum hominum societatem pertinere meminerimus!

His finiam. Quae vero a me dicta sunt, *Lector Humanissime, ea animo aequo rursus ut complectaris, Te rogo. Praesentis aetatis nimia sermonis patrii cultura linguas eruditas, illarumque studium propellit, ingenia remouet a cupiditate imitandi optimum, et alimenta praebet pigritia scholasticae, quid igitur Tibi, si integer, nullisque partibus ad-*

XXVI

didus censeri vis, statuendum videtur? num ciuib[us] nostris gratula-  
bimur de crescente in dies scriptorum germanorum numero, an cum  
bonis illum lugebimus? num laetabimur praesentem bonarum litera-  
rum atque ingenuarum artium florem, an deplorabimus aetatis hodi-  
ernae barbariem? Fac pronuncies, ego ad indicandum huius com-  
mentationis consilium progredior. Quatuor iuuenes disciplinae nostrae  
amantissimi, ad renouandam sanctissimam atrocissimae mortis Seruatoris  
memoriam, et comprobandum gratum animum in Schroederum, Rectorem  
huius Lycae quondam meritissimum, iuuenilis deklemandi facultatis  
specimina edent, illorumque ordo hic erit:

I. CHRISTIANVS GOTTLIEB RIEHMERVS, Blumenbergen-  
sis- Misnicus, qui *de pace*, per Christum nobis parta, differat  
*latine*.

II. IOANNES CAROLVS AVGVSTVS SCHVFFENHAVERVS,  
Roeknitiensis- Misnicus, qui *virtutem mortis Christi, in remitten-  
dis hominum criminibus*, inquiret sermone *latino*.

III. CAROLVS GOTTLIEB FLECKEISENIVS, Laasa- Misnicus,  
qui *Christiani tranquillitatem, ex adspicere vulnerum Christi ma-  
namentem*, praedicabit *germane*.

IV. SAMVEL GVILIELMVS MERKERVS, Zahna - Saxo, qui  
*Christiani hilaritatem, ex contemplatione sepulchri Christi oriundam*,  
augebit declamatione *germana*.

Ad quos beniuole audiendos, ut *ANTISTITES SACRORVM SVMME REVE-  
RENDVS, SENATVS AMPLISSIMVS, SACERDOTES PLVRIMVM RE-  
VERENDI, PRAECEPTORES CLARISSIMI ET DOCTISSIMI, ET OMNES  
bonarum literarum, adeoque Lycei nostri, FAVTORES atque AMICI  
HONORATISSIMI, crastino die, hora IV. in auditorio superiori con-  
veniant, obseruantissime et humanissime oro rogoque. P. P. Tor-  
gauiae, a. d. X. Kalendar. Aprilium, A. I. S. MDCCCLXXX.*



AB:155056

VD 18

ULB Halle  
003 085 112

3



TA → SL  
nur 75 Blatt /

VDT7

R



NIMIA SERM  
HODIERN

P

AD SOLEM  
EX E

H V

C A R O L V S

A A . L L

LTVRA  
VSSA

ANDO  
M

N T E N I S

R.

A

Farbkarte #13

